



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

Bernardus <Claraevallensis>

XLVIII. De paupertate voluntaria.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

S E R M O XLVIII.

*De paupertate voluntaria.**a Luc. 10. 8**Paupertas van-
cat invidia ;
propria & a-
liena.*

Intravit Iesus in quoddam castellum, & mulier quaedam Martha nomine excep-
pit illum in domum suam ^a. Castellum ubi Christus intravit, voluntaria
est paupertas, quæ habitatores suos à gemina impugnatione qua huius
mundi amatores expugnantur, reddit seguros, scilicet propria invidia,
& aliena. Paupertas enim dum putatur misera, aliena caret invidia: &
quia est voluntaria, nemini quicquam invidet. Duæ istæ sorores, duas vitas
amatorum paupertatis significant. Quidam cum Martha solliciti Domino
Iesu duo pulmentaria præparant, scilicet correctionem operis cum salla-
mento contritionis, & opus pietatis cum condimento devotionis. Hi verò
qui cum Maria soli Deo vacant, considerantes quid sit Deus in mundo, quid
in hominibus, quid in Angelis, quid in seipso, quid in reprobis, contem-
plantur quia Deus est mundi rector & gubernator, hominum liberator &
adiutor, Angelorum sapor & decor, in seipso principium & finis, reprobo-
rum terror & horror. In creaturis mirabilis, in hominibus amabilis, in An-
gelis desiderabilis, in seipso incomprehensibilis, in reprobis intolerabilis.

S E R M O XLIX.

*De triplici Verbo.**a Psal. 17. 3**b Rom. 2. c**c Ibid.**d Ioan. 1. b*

Dies diei eructat verbum. Dies diei Angelus Virgini. Dies Angelus pro-
pter beatitudinem; Virgo dies propter integritatis virtutem. *Et nox
nocti indicat scientiam.* Serpens nox propter malitiam: mulier nox propter
ignorantiam. *Dies diei eructat verbum.* Deitas virginitati de utero paternæ
maiestatis, in utero maternæ integritatis. Aliter: *Dies diei eructat verbum.*
Deus Pater animæ rationali per fidem illuminatæ. *Et nox nocti indicat scien-
tiam,* creatura rationalis animæ rationali nondum per fidem illuminatæ.
Unde Apostolus ^b: *Invisibilia Dei per quæ facta sunt intellecta conspiciuntur à
creatura mundi.* Unde nos dicimus, verbum indicatum, verbum inspira-
tum, verbum eructatum. Primum fecit cognitionem, secundum con-
versionem, tertium vivificationem. Primum obfuit, secundum non profuit,
tertium vivificavit. Primum obfuit: *quia cum cognovissent Deum, non sicut
Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus
suis, & obscuratum est inspiens cor eorum.* Secundum non profuit: quia non
data est lex quæ posset vivificare. Tertium vivificavit: quia per crucem re-
demit. Primum totum de foris, secundum foris & intus, tertium totum
intus. Et nota, quia quod eructatur, de plenitudine eructantis cum quo-
dam ipsius substantiæ sapore profertur; & idcirco Sapientia incarnata di-
citur habens in se omnem plenitudinem ^d: In miraculis cognitionem,

in